



A R G V M E N T V M S E Q V E N T I S
L I B R I P E R B E A T V M
R H E N A N V M .



V L I E R E S quædam Christianæ præsertim locupletiores, defunctis maritis suis, ambitiōis ac gloriæ studio, gentilibus nubebant, quas Christianorum pudebat ut humilium & tenuiū. Nam tum rerum summa adhuc apud ethnicos erat. Illi regnabant, præsidebant, dominabantur. Christiani alieni ab omni rei publicæ administratione uiuebant, imò uerius latebant sola modestia noti. Itaq; cum uideret indecens istud renubentium mulierum exemplum, hoc posteriore libro præmonitus uxorem suam, de mulieribus illis differit, quæ sibi Gentiles maritos iungebant, ostendens hoc impie factu, & præter Pauli sententiam, qua se tuebantur illæ. Mox cōmemorat impedimenta, quæ cōtingunt ex huiusmodi coniugio, dum non libere licet obseruationibus Christianismi uacare. Quo loco præcipua nostræ religiōis studia ac officia recēset, quibus illa ætas usq; est, de Statione, de Ieiunijs, de Proceßione, que referebat Iudaicum populū obuium CHRISTO factum, & Apostolos exeentes in monte, cum CHRISTVS in cœlos ascenderet, De uisitatione fratrum, hoc est, Christianorum male affectorū, De peruigilio Paschæ: quod propterea celebrari putat Hieronymus, quia Iudeorū traditio sit, CHRISTVM media nocte uenturum in similitudinem Aegyptij temporis. Vnde reor, inquit ille, & traditionem Apostolicam permansisse, ut in die uigilarum Paschæ ante noctis dimidium populos dimittere non liceat, expectantes aduentum CHRISTI, & postquam illud tempus transierit securitate præsumpta, festum cunctis agentibus diem. Meminit præterea de dominico coniuio, de uisitationis captiuis, de exosculatione fratrum, hoc est, Christianorum: de ablutione pedum, de cōmunicatione cibi & potus & hospitijs, de signo crucis, de preicatione nocturna: de eucharistia, quæ ante omnem cibum sumebatur, de sacra Christianorum cantillatione. In fine matrimonii laudibus uehit, quo Christiana Christiano copulatur.

Nimirum quod tunc Christianismo satifacere licet,

cum (ut ipsius utar uerbis) libere æger uisita-

tur, indigens sustentatur, eleemosynæ fi-

unt sine tormento, sacrificia sine scrupulo (uidelicet dum uxori

suæ non timet præ-

sens ipse

quoc; in sacrificio maritus.)

Cottidiana diligentia sine impedimen-

to, Non furtiva signatio (nam mulier Chri-

stiana non audebat Gentili marito spectante, se si-

gnare, sed furtim hoc faciebat.) Non trepida gratulatio (quia

mulier salutando Christianum, adulterij suspicionē mouebat gentili ma-

rito.) Non muta benedictio: nam apud maritum ethnicum non licebat prola-

ta uoce CHRISTO gratias agere. Id quod ipse exponit, cum subdit, Sonant inter

duos psalmi & hymni, & mutuo prouocant quis melius deo suo canat.

Q. Septimij